ANNOTATIONES CRITICAE

AD

THEMISTII ORATIONES.

Themistius quamquam nonnumquam τοὺς ὑπεραττικίζοντας insectatur, quos delectent ῥηματίσκια παμπάλαιά τε καὶ αἰνιγματώδη ὑπὸ χρόνου (pag. 253 C), et quibus τὸ δήπουθεν καὶ τὸ κἄπειτα καὶ τὼ Διοσκόρω semper sint in ore (ibid. D), tamen ipse eo vitio non caret. Delectat eum imprimis Atticum et Platonicum ἄττα, sed in eo usu peccant librarii elisam more Attico vocalem ingrate supplentes, veluti p. 2 A. σμικρὰ ἄττα, p. 249 A. δουλικὰ ἄττα, p. 266 C. πολλὰ ἄττα, p. 267 D. ὁποῖα ἄττα, p. 271 C. ἄλλα ἄττα, et passim alibi, quum perpetua fuerit in talibus elisio πόλλ' ἄττα, ὀλίγ' ἄττα, ἄλλ' ἄττα cet. Nonnumquam scribae peccant etiam in Platone, sed in Themistii libris perpetuus is error est nusquam tolerandus.

De recocta apud Atticistas vocula ἄττα lepidus est Luciani locus, ubi *Rhetorum Praeceptor* cap. 16 ad adolescentulum iamiam futurum oratorem ita dicit: πεντεκαίδεκά που ἢ οὐ πλείω γε τῶν εἴκοσιν Ἀττικὰ ῥήματα ἐκλέξας ποθὲν καὶ ταῦτα ἀκριβῶς ἐκμελετήσας πρόχειρα ἐπ' ἄκρας τῆς γλώττης ἔχε τὸ ἄττα καὶ κᾆτα καὶ μῶν καὶ ἀμηγέπη καὶ λῷςε καὶ τὰ τοιαῦτα καὶ ἐν ἅπαντι λόγῳ καθάπερ τι ἥδυσμα ἐπίπαττε αὐτῶν, et in cap. 18: καὶ ἐπὶ πᾶσι τὰ ὀλίγα ἐκεῖνα ὀνόματα ἐπιπολαζέτω καὶ ἐπανθείτω καὶ συνεχὲς τὸ ἄττα καὶ τὸ δήπουθεν κἂν μηδὲν αὐτῶν δέῃ. καλὰ γάρ ἐςι καὶ εἰκῇ λεγόμενα, et cap. 20: οἱ μὲν συνιέντες ὀλίγοι, — οἱ πολλοὶ δὲ τὸ σχῆμα καὶ φωνὴν καὶ — τὸ ἄττα σου ἐκεῖνο τεθήπασιν. Etiam facetior locus in eodem argumento est in Luciani Lexiphane,

ubi medicus ad Lexiphanem ita dicit cap. 21: ἄρξαι δὴ ἐμεῖν. βαβαῖ. πρῶτον τουτὶ τὸ μῶν, εἶτα μετ' αὐτὸ ἐξελήλυθε τὸ κᾆτα, εἶτα ἐπ' αὐτοῖς τὸ ἦ δ' ὅς, καὶ ἀμηγέπη καὶ λῷστε καὶ δήπουθεν καὶ συνεχὲς τὸ ἄττα. Nihilo minus ipse Lucianus, haud secus atque Themistius, illo recocto ἄττα lubenter et crebro utitur, ut et plerisque reliquis quae tam salse in stulto Lexiphane ridebat.

Ostendam uno exemplo Themistium quoque ea quae in aliis carpit ipsum committere. Quod enim apud Themistium legitur p. 25 A: οὐδεμία μοι μηχανὴ ἀποστερεῖν ἐπιχειροῦντι καὶ καταπροίξεσθαι duplici nomine mendosum est, quorum vitiorum alterum scribis, alterum ipsi Themistio est imputandum. Scribae καὶ de suo inferserunt: Themistius dederat οὐδεμία μοι μηχανὴ ἀποστερεῖν ἐπιχειροῦντι καταπροίξεσθαι. Καταπροίξεσθαι pendet a μηχανή et ἀποστερεῖν ἐπιχειροῦντι est ἐὰν ἀποστερεῖν ἐπιχειρῶ. Ipsi Themistio autem vitio vertendum est quod posuit futurum καταπροίξεσθαι pro praesenti aut aoristo. Verbum autem vetus Ionicum et Atticum, quo usus est, non habet aliam formam praeter solum futurum, οὐ καταπροΐξεαι apud Iones, οὐ καταπροίξει apud Atticos, quamobrem alio verbo uti Themistium oportebat, sed implicitus in vitium, quod nonnumquam ipse ridet, maluit ὑπεραττικίζειν quam verbum omnibus notum ponere.

Eiusdem farinae est quod paulo post dedit p. 25 C. πάνυ ἔμπειρος καὶ δαήμων: melius enim δαήμων vetustis poëtis reliquisset. Nonnumquam verbum vetus et obsoletum cum usitato componit, veluti p. 58 B: συναπώνατο ἢ συναπέλαυσεν, p. 341 D. ἀπεφθίκασί τε καὶ ἀπερρυήκασιν, et p. 360 D. ἄϊστον καὶ φροῦδον, et contra p. 359 B. ἀφανίσαι τε καὶ ἀϊστῶσαι. In his omnibus manifesto bis idem dicit, sed lubenter simul vocabulis utitur reconditis et quid dicat notiore verbo planum facit. Sunt haec omnia ῥηματίσκια παμπάλαια καὶ αἰνιγματώδη ὑπὸ χρόνου, quae ridet ipse p. 253 C. sed est, ut in proverbio est:

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Duobus mendis inquinatus est locus Themistii in Orat. I. p. 2 D. ἆρα ὁμοίως εὐπετὲς καταμαθεῖν αὐτόν τε (τὸν θεόν)

καὶ τὰ ποιήματα; ἢ πρὸς ταῦτα μὲν ἡ Φύσις ὄμματα ἐξ ἀρχῆς ἐτεκτήνατο καὶ πάρεστιν ἀνεῳγμένοις ὁρᾶν ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα καὶ τὸν ξύμπαντα οὐρανὸν, ἐκεῖνον δὲ κατιδεῖν ἀγαπητὸν ὅτῳ καὶ εἰς χρόνον ἐξ αὐτῶν ἐκείνου ἐφίκοιτο. Male recepit Dindorfius infelicem Iacobsii coniecturam *πάρεστιν ἀνεῳγμένοις ὁρᾶν*, quasi vero aliquis aliter rerum naturam quam *oculis apertis* intueri posset. Quod in libris est *πάρεστιν εὖ γενομένοις ὁρᾶν* emendari oportere in *εὐθὺς γενομένοις* idque e Platone sumsisse Themistium ostendimus in Mnemos. IX. p. 247 sq. Superest ut ultimam loci partem restituamus in integrum nunc pessime corruptam. Nil iuvat Harduinus pro *ὅτῳ* reponens *ὅστις* et sic augens etiam morbum, quem curare volebat. Vitii sedes est in *ἐφίκοιτο* et *ὅτῳ* sanissimum est. Emendandum esse locum censeo in hunc modum: *ἐκεῖνον δὲ κατιδεῖν ἀγαπητὸν ὅτῳ καὶ εἰς χρόνον ἐξ αὐτῶν ἐκείνων ἐκγένοιτο.* Notissima haec est loquendi forma *ἐξεγένετό μοι ἰδεῖν τι, εἰ γὰρ ἐκγένοιτό μοι ταύτην ἰδεῖν την ἡμέραν*, et similia. Liber vetus erat perrosus et lacer, et quum haec tantum apparerent *ἐξ αὐτῶν ἐκείν* ** Є***ΟΙΤΟ, nihili corrector supplevit *ἐκείνου ἐφίκοιτο* pro *ἐκείνων ἐκγένοιτο.*

Leve mendum eluendum est e Themistio p. 3 B. *τὰς ὑμετέρας φωνὰς ὅσας ποιεῖσθε περὶ βασιλέως ἑκάστοτε ἐν ἀγοραῖς, ἐν θεάτροις, ἐν οἰκίαις.* Non est Graecum *φωνὴν ποιεῖσθαι*, sed *προΐεσθαι*. Themistius p. 1 A: *ῥῆμα οὐδὲ σμικρὸν ἑκὼν εἶναι προοῖτ' ἄν.* pag. 44 A. *μηδὲ μικρὸν ῥῆμα προέσθαι.* p. 343 B. *ὀλίγα* (sic recte Iacobsius pro *λιτὰ*) *ῥήματα προηκάμην.* p. 15 B. *ὁ νόμος εἰ προέσθαι φωνὴν ἐδύνατο.* p. 81 C: *εἴ τι χρηστὸν ῥῆμα προήκατε*, et aliis locis. Itaque corrigendum est *φωνὰς ὅσας προΐεσθε.*

Duo vocabula transponenda sunt p. 8 A: *ἔτι τοίνυν ὅτι μᾶλλον βασιλικωτέρα κτέ.* Imo vero *ὅτι τοίνυν ἔτι μᾶλλον*, ut fert omnium Graece loquentium consuetudo.

C. G. Cobet.

(*Continuabitur.*)